

III. AB ORDINE IURISCONSULTORUM

Quaestio proposita haec erat :

Explicetur iuris Romani de usufructu accrescendo doctrina.

Huius argumenti tres oblatae sunt commentationes, quarum prima, symbolo: *Pro viribus ardor!* insignita, cum fere nihil quod auctoris proprium esset, contineret, sed varios recentiorum scriptorum locos partim ad verbum et ne correctis quidem vitiis typographicis descriptos, partim de vernaculo in latinum sermonem translatos exhiberet, cum iusta indignae fraudis reprehensione ab honesto cartamine plane removenda fuit.

Reliquarum commentationum altera, quae Horatii versus :

*Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus,
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus,*

in fronte gerit, eo non satisfecit ordini, quod magis in componendis eligendisque recentiorum auctorum sententiis occupata est, quam in eruendo ipsorum fontium argumento, quorum praestantissimum, Fragmenta quae vocamus Vaticana, auctori omnino ignotum fuisse, merito miramur.

Praestat recta civilis scientiae methodo altera commentatio, cui Homeri versus :

*οὐδέ σέ φημι
ἀπρηκτον γε νέεσθαι, ὅ, τι φρεσὶ σῆσι μενοινᾶς*

praepositi sunt. Bene intellexit auctor in solvenda hac quaestione non diffusa doctrina sed ingenii sagacitate opus esse, eiusque cardinem in ipsorum fontium interpretatione versari. Principiis igitur iuris accrescendi dilucide atque eleganter expositis interpretandos suscepit locos insigniores, in quo negotio boni ingenii specimina prodidit. In nonnullis tamen lapsus est, plura quae diligentiore disputationem flagitabant nimis leviter tractavit, denique quod et ipse in praefatione confessus est, brevius quam debebat tempus in elaborando libello consumpsit. Quare ne hunc quidem praemio